



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**IOAN. PETRI || MAFFEI, || BERGOMATIS, || E SOCIETATE ||
IESV, || HISTORiarVM || INDICARVM || LIBRI XVI. ||
SELECTARVM, ITEM, EX || INDIA EPISTOLARVM || LIBRI
IV. ||**

Maffei, Giovanni Pietro

Coloniae Agrippinae, Anno M.D.XC.

VD16 M 105

Taqvae Regis Firandi ad Melchiorem Nonnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64627)

Regione geruntur à Domino : qui nos pro sua bonitate idoneos vineæ suæ cultores dignetur efficere. è Bungo 12. Cal. Octob. MDLV.

TAQUAE REGIS FIRANDI
ad Melchiorem Nonnium.

PATER Mag. Franciscus cum meum in hoc regnum venisset, Christianos fecit magna animi mei voluptate non nullos, quos equidem commendatos habeo, & ab omni iniuria tuor. Bis deinde ad nos venit etiam Pater ille, qui Funaij versatur, baptizauitque eum ex affinis meis aliquot; tum ex reliqua nobilitate permultos, quem ego virum aliquoties audiui, eiusque doctrinam, quæ mihi penitus hæret in medullis, ita probavi, ut Christum sequi planè decreuerim. Quocirca te in meo Regno videre magnopere cupio: semel quippe meritus, non mentiar iterum. Tu si ad nos te contuleris; & rem Deo gratissimam feceris, & à me quàm honorificentissimè liberalissimeque tractaberis. Firando.

Taqua Nombo Firandi Rex.

COSMI TVRRIANI AD
Societatem Iesu in Lusitaniam.

EX quo tempore à Francisco Xauerio, qui postea migravit è vita, Amangutijs sum relictus; res per humani generis aduersarium minimè tranquille fuerunt: qui cum intelligeret quantum Euangelij promulgatione proficeretur, omni ratione eam impedire conatus est: bellum enim Reater ac populares eius ita perniciosum excitauit, ut primo post meum aduentum die, Rege ipso cum filijs inter-